

Annotationum in P. Ovidii Nasonis carmina

P a r t i c u l a I.

Annotationes in Tristia continens.

Trist. I, 1. 1.

Parve, (nec invideo) sine me, liber, ibis in Urbem —
In hoc versiculo quaeritur quomodo intelligendum sit illud
nec. Atque ea quaestio pertinet ad multos Ovidii locos.
Sic Epist. II, 79 de Ariadna dicit:

Illa (nec invideo) fruitur meliore marito —

Pont. I, 3, 41. 42.

Adsuetos tauri saltus, adsueta leones

(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

Pont. IV, 6, 11. 12.

Occidis ante preces, causamque ego, Maxime, mortis
(Nec fueram tanti) me reor esse tuae.

Amor. III, 1, 21.

Fabula (nec sentis) tota iactaris in urbe.

Et sic aliis huius poetae locis compluribus. Interpretes ad hunc locum tacent, aut *nec* pro simplici negatione *non* positum censent, quod quomodo fieri possit non assequor. Ego in his et similibus locis omnibus tenere existimo vim propriam, ut neget et simul iungat; notionem iungendi autem additam esse ad interpositionem inducendam, quomodo etiam Germani dicimus: *Büchlein, du willst (und ich verweigere dir's nicht) allein nach der Stadt reisen —*. Eamque interpretationem confirmant haec exempla Maronis. Aen. III, 365.

*Sola novum (dictuque nefas) Harpyia Celaeno
Prodigium canit.*

Georg. II, 125. Atque eodem modo accipiendae voculae *neq* et *neque* cum alibi tum iis in locis, ubi ratio eorum, quae enuntianda sunt, praemittitur, ut Trist. III, 1, 7. 8.

*Di, precor, atque adeo (neque enim mihi turba roganda est)
Caesar, ades voto, maxime Dive, meo.*

Fast. III, 625.

*Talia dicenti (neque enim spes altera restat)
Credidit, errores exposuitque suos.*

Virg. A. I. 643. 644.

*Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves praemittit Achaten.*

Trist. II, 255—264.

*Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior esse potest.*

— — — — —
— — — — —

*Sumserit Annales: nihil est hirsutius illis:
Facta sit unde parens Iliia nempe leget.
Sumserit Aeneadum genetrix ubi prima, requireret,
Aeneadum genetrix unde sit alma Venus.
Persequar inferius, modo si licet ordine ferri,
Posse nocere animis carminis omne genus.*

Annales v. 259 recentiores horum carminum editores et interpretes, Platz, Klein et Jahn cum Burmanno et aliis intelligunt *Annales* maximos sive Pontificum, vetustissimos illos historiae Romanae libros, quos incondita atque horrida oratione fuisse scriptos cum alii prodiderunt, tum Cicero in L. de Orat. II c. 12. Male, si quid ego video. Intelligendi sunt *Annales* Enni poetae. Cave tamen illa *nihil est hirsutius illis* de Ennii versibus ac sermone accipienda putes, quamvis asperam atque incomptam illius poetae fuisse orationem constet. Vid. Cic. Brut. c. XIX, Hor. Epist. II, 1, 50,

Ovid. Trist. II, 414, Amor. I, 15, 9, Stat. Silv. II, 7, 75, Aul. Gell. Noct. Att. XII, 2. *Hirsutos* Ovidius appellat Annales ab argumento, i. e. severos, gravitatis plenos nullisque deliciis ac nequitiiis aspersos; uti e contrario carmina ludicra et lasciva ab eo passim *mollia* ac *tenera* dicuntur. Sed, opponunt, cur, si Annales Enni poeta intelligebat, non potius scribebat:

Sumserit Annales (nihil est hirsutius) Enni —
aut cur non carmen illud, cui nomen *Annales* erat, verbo significavit? Nimirum quia ex illis, quae sunt v. 255:

Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni —
atque ex totius loci conclusione illa v. 264:

Posse nocere animis carminis omne genus —
satis existimabat apparere, nil aliud nisi carmen intelligi posse. Nec felicius expedierunt grammatici, quinam liber intelligendus sit v. 261. Virgilio Aeneida intelligit Merula, adductus, ut videtur, vitiosa scriptura, quae nonnullos libros manu exaratos occupavit: *Aeneidem genitrix*. Burmannus cum Castal. Decad. I c. 5 intelligendos censet eosdem Annales maximos vel aliud opus, in quo Romanorum origo ab Aenea Troiano repetatur. Annales maximos intelligunt etiam Klein et Platz, quibus assentitur editor Lipsiensis, qui ita scripsit:

Sumserit: Aeneadum genitrix ubi prima, requiret, etc.
et loci sententiam statuit esse talem: *Si sumserit Annales: requiret, ubi* (quo loco) *prima Aeneadum genitrix sit* (legatur), *et (postquam Venerem invenerit, requiret) unde* (a quo) *Venus alma sit* (facta sit) *genitrix Aeneadum*. Qua interpretatione meo quidem sensu nihil potest esse contortius: certe simplicior erat: *Si sumserit Annales* (eum sc. locum), *ubi Aeneadum prima genitrix* (est, legitur); *requiret, unde alma Venus Aeneadum genitrix* (facta) *sit*. Ac praeterea scrupulum movere debent, ita si locus intelligitur, illa *persequar inferius* — *carminis omne genus*, quae nisi duo saltem libri, qui fieri perniciosi matronis possent, ante essent

nominati, vix commode dicerentur. — Ne pluribus morer, intelligendum est opus Lucretii, quod poeta per periphrasin eleganter significat, alludens ad primos carminis Lucretiani versiculos :

*Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
Alma Venus, coeli subterlabentia signa etc.*

Ac loci sensus hic est: (Si) *sumserit* (in manus carmen illud, quod talibus verbis: *Aeneadum genetrix*, incipit et) *ubi* (in quo itaque) *Aeneadum genetrix prima* (est, primum libri locum tenet, eaque statim alma Venus esse dicitur, h. e. si *sumserit* carmen Lucretii: statim, si matrona talium rerum studiosa est, cupide) *requeret, unde* (a quo viro) *alma Venus* (festive iterum ad Lucretiana illa alludit) *sit* (cum eadem festivitate, quae semel iam dixit, Lucretiana verba repetit) *Aeneadum genetrix*. De Nasonis elegantia alludendi pluribus diximus ad Epist. Heroid. P. I. p. LXXIV. Haec exempla sunt in secundo hoc libro Tristium. v. 533.

Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor

Contulit in Tyrios arma virumque toros —

v. 559.

Pauca (sc. hinc tibi iubeas legi), *quibus prima surgens
ab origine mundi,*

In tua deduxi tempora, Caesar, opus. — — —

Trist. III, 1, 59—62.

Inde tenore pari gradibus sublimia celsis

Ducor ad intonsi candida templa dci,

Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis —

In summa Romanorum illa aetate, qua Naso fuit, luxuria marmora e diversissimis terris tam ad publica quam ad privata aedificia ornanda maximo sumtu Romam portabantur, laudanturque a scriptoribus *Parium* ex Paro insula (v. Hor. Od. I, 19, 5, II, 18, 4 ibique interpp., Ovid. Pont. IV, 8, 31, Virg. Georg. III, 34. Conf. Plin. IV c. 22), *Hymettium* ex Attica (Plin. XXXVI c. 5, Val. Max. IX c. 1, Hor. Od. II, 18, 5), *Phrygium* i. e. Synnadense ex Asia (Tibull. III,

3, 13, Hor. Od. III, 1, 41, Plin. XXXV c. 1, Strabo IX p. 437), *Carystium* ex Euboea insula (Tibull. III, 3, 13, Plin. XXXVI c. 7), alia. Atque erit, qui hoc Romanorum luxu memorato atque ita testimoniis veterum confirmato ad hunc locum explicandum satis fecisse putet, quum praesertim poeta generatim et universe, *peregrinis* dicens, loquatur; neque interpretum ullus adhuc ulterius quaesivit, praeter editorem Lipsiensem. Is enim illas porticus columnas de Pario marmore fuisse affirmat. Sed eam opinionem refellit Propertius, qui L. II, 31, 1 sqq. sic habet:

Quaeris cur veniam tibi tardior? Aurea Phoebō

Porticus a magno Caesare aperta fuit.

Tota erat in speciem Poenis digesta columnis,

Inter quas Danaï femina turba senis.

Sive igitur vere ex Poeno marmore fuerunt, de quo ego nihil a veteribus proditum reperi, sive e lapide, qui apud Romanos in deliciis fuit, Numidico (Plin. V c. 2, XXXVI c. 8, Hor. Od. II, 18, 4 ibique interpp.) aut Aegyptio, certe non e Pario marmore fuisse apparet.

Trist. III, 7, 11. 12.

Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhaeres,

Doctaque non patrio carmina more canis?

Ut quae sit ista Perilla, ad quam carmen hoc scriptum est, parum exploratum atque compertum habemus, ita quomodo illa *doctaque non patrio more carmina* (v. 12) sint intelligenda certatur. Iam *patrio more* non declarare *more Ovidii, patris*, manifestum est, cum Perilla Nasonis filia, ut olim falso creditum est, esse non potuerit, ut nuper in hoc *Museo* cum aliunde tum ex ipsa huius carminis ratione pluribus docuimus: Neque alium poetam Perillae patrem fuisse, a quo filia et genere et numeris diversa carmina composuerit, docet eadem ratio atque conformatio huius carminis. Vid. v. 15 et sqq. Cui accedit Ovidii consuetudo dicendi, qui appositum *patrius* fere constanter pro *patriae*, non *patris* usurpat;

quanquam hoc levius et infirmum est. *Non Romanorum more* parum probabiliter intellexerunt alii, quod ea aetate apud Romanos res insolens ac nova fuerit femina, quae carminibus faciendis operam navaret. Jahn intelligendum putat *non Latino sermone sed Graeco* idque confirmari existimat vs. 19. 20.

Ergo si remanent ignes tibi pectoris idem

Sola tuum Vates Lesbia vincet opus —

in quam sententiam alii etiam illud *docta* attulerunt. Ego malim de Lyricis carminibus intelligere, quod poematis genus Graecum itaque Romanis *non patrium* erat. Hor. Od. II, 16, 38.

Spiritum Graiae tenuem Camoenae. —

Nam quod Jahn opponit iam tum Horatii carmina existisse, primum cum Ovidius haec scriberet, haud ita diu erat, tum Horatii carmina erant vulgata, neque praeterea Graecae originis et esse hoc genus et haberi tum desierat, et quod probe tenendum et in hac quaestione valet, poeta illis *non patrio more* amicissimae poetriae blandiri voluit, ut eum probabile sit, dummodo Perillae placeret, haud magnopere cavisse, ne paullo insolentius dicere videretur. Quod autem v. 20 Perillam Lesbiae poetriae comparat, vereor, ne parum inde, eam quoque Graeca carmina scripsisse, efficiatur. Quemadmodum enim Homerus apud veteres pro summo poeta erat, ita ab iisdem tam Romanis quam Graecis, Sappho summa poetria habebatur: ut quo magis aliqua femina in poetica excelleret, eo propius ad Sapphus laudem accedere diceretur: atque ut Ennius, poeta Latinus, a veterum poetarum admiratoribus (Hor. Epist. II, 1, 50) *alter Homerus* vocabatur, ut Ponticus, qui et ipse Latina carmina scripsit, *primo Homero contendere* dicebatur (Propert. I, 7, 1); eodem modo Nasoni dicere licebat, quin Perilla Graece scriberet, a sola eam Lesbia superari. Tantum igitur abest, ut hic locus interpretationi Jahni unice faveat, ut eodem iure in no-

stram sententiam afferri possit, quam et illi loci Horatii et Propertii egregie confirmant. Illi denique, quibus appositum *docta* Graecorum carminum studium declarare visum est, non satis perspectum habuisse videntur poetae usum loquendi, a quo *dorti* omnes dicuntur, qui in aliqua sive arte, sive doctrina, sive re quacunque, in qua ingenii vis cernitur, excellunt. Sic *doctus Pythagoras* Met. XV, 74, *doctus Germanicus*, *doctus Catullus*, poetae, Pont. IV, 8, 77, Amor. III, 9, 62, *docti poetae* sine discrimine Art. III, 551, *doctus Brutus*, *doctus Salanus*, oratores, Pont. II, 5, 15, I, 1, 24, *doctae artes* Daedali Met. IX, 743, *docta manus* sculptoris Fast. III, 852, *doctae manus* lyram pulsantis Amor. II, 4, 28, *docta brachia* textentium Met. VI, 60, al.

Trist. IV. Eleg. 5 poeta amico cuidam gratias agit, quod etiam exilii tempore firmus et constans in amicitia fuerit, oratque ut eandem sibi fidem atque amicitiam praestare pergat, multis additis pro salute eius votis, in quibus (vs. 27. 28)

*Sic aequet tua nupta virum bonitate perenni,
Incidat et vestro rara querela tuo —*

Quoties hunc locum lego, displicet mihi illud *rara querela*: quae scriptura mihi excogitata atque inventa videtur aut a moroso quodam *monacho*, qui locum magis ad vitam et experientiam, quam ad artem atque elegantiam exigeret, aut ab infelici quodam marito, qui ex dominae suae natura ac moribus de reliquis omnibus falso iudicans matrimonium esse nullum sine querela putaret. Certe poetae elegantiam si perspicio, cum semel optaret, viro amicissimo summum et maximum optavit, itaque scripsit:

Indicat et vestro nulla querela toro —

Atque eam scripturam vindicant Heinsii libri Mss. plurimi et quos ego insexi prope omnes et antiquissima editio Parmensis. Eodem pertinet titulorum in sepulcris formula: *Vixerunt sine querela*.

Fast. V, 206.

*Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptae,
Inque meo non est ulla querela toro.*

Trist. IV, 9, 1—4.

Si licet et pateris, nomen facinusque tacebo,

— — — — —

Nostraque vincetur lacrimis clementia seris :

Fac modo te pateat poenituisse tui.

Displacent Burmanno illa *nostraque vincetur lacrimis clementia*, quia *clementia* non vincatur nisi delictis, itaque prorsus contrarium, quam quod orationis contextus postulet, dicatur. Cum quo consentiunt cum alii, tum nuperrimus Tristium editor, Jahn, qui opportune in eam sententiam attulit Trist. IV, 8, 59.

Ipsaque delictis victa est clementia (Augusti) nostris —

Pont. II, 2, 121.

Victa tamen vitio est huius clementia nostro —

in quibus locis vere sensum contrarium habere, negabit nemo. Sed tamen sana et incorrupta est scriptura huius loci, et *clementia vincitur* utrumque habet sensum. Nam *clementia* in talibus locis fere pro adiectivo positum est, de more vere Latino, quem non opus est ut pluribus exemplis illustremus. Utrum vero quovis loco sensum habeat, ex eo pendet, num adiectivum *clemens* sit pro *licet*, *quamvis clemens sit*; (tum sane contrariam sententiam habet, ut locis iam allatis) an pro *cum*, *quia clemens sit*, *quae eius clementia est*; quae posterior ratio cadit in locum, de quo quaerimus, cuius haec sententia est: *et ego clemens cum sim, pro mea clementia vel quae est mea clementia lacrimis* (quamvis) *seris vincar, mitigabor*. Locum, in quo substantivum ita pro adiectivo positum est, habes statim in his ipsis carminibus. L. V, 6, 9 de Automedonte fidelissimo Achillis socio et auriga sic est:

Nunquid Achilleos inter fera proelia fidi

Deseruit levitas Automedontis equos?

h. e. numquid fidus Automedon inter' fera proelia, lewis' õv
(sit venia voculae Graecae), *Achillis equos reliquit?*

Trist. V, 1, 71 — 75.

*Ipsæ nec emendo (carmina), sed ut hic deducta, legantur:
Non sunt illa suo barbariora loco.*

Nec me Roma suis debet conferre poetis —

In omnibus editionibus sic post loco puncto distinctum est. In qua scriptura miror editoribus non movisse scrupulum illud *nec*, minime hac servata interpunctione ferendum. Cave tamen cum paucis corruptissimis MSS. scribendum putes *non*: verum tu pone colon loco illius puncti, et totus locus planus erit: *Ipsæ nec emendo, sed . . . legantur; non (enim) . . . loco: nec Roma me . . .* Pari modo interpunctione sanandus est versiculus V, 4, 23.

Platz et Klein ediderunt:

*Te tamen, o! si quid credis mihi carior, ille,
Omnibus, in toto etc.*

Jahn:

*Te tamen, o si quid credis mihi, carior, ille,
Omnibus, in toto pectore semper habet.*

Quarum scripturarum priorem vitio laborare, certe illud *carior* casum vocandi esse, nemo non videt. Nec prorsus integra est altera; quorsum enim illa exclamatio: *o si quid mihi credis!* aut quam habet vim? Comma ponendum post *o*, ut *o* iungatur verbo *carior*, ut statim v. 29 *o dulcior*, V, 14, 2 *o mihi me carior*. Vid. IV, 4, 1. IV, 5, 1. Ac ne in interpositione illa *si quid credis mihi* haereas. Fast. VI, 652.

Nunc ades, o, coeptis, flava Minerva, meis.

Verum alterum mendum huic loco inhaeret. In vulgata enim scriptura ambiguum relinquitur, cui amicus *carior* sit, utrum Epistolae (nam ipsa Epistola loquitur), an *domino* et *auctori* h. e. Nasoni, certe dativus desideratur. Ac vehementer displicet, quod verba adeo sunt dissipata atque distracta. *Te tamen, o, si quid credis mihi, carior, ille, omnibus, in toto p. s. h.* Sed illud vitium corrigunt emendatissimi libri, qui optime exhibent *illi* pro *ille*. Itaque locus sic erit scribendus:

*Te tamen, o, si quid credis mihi, carior illi
Omnibus, in toto pectore semper habet.*

V, Loers, Dr.